



**Declaratio causarum, : quibus serenissimus rex Nauarræ,  
primus regii Francorum sanguinis Princeps, ejusdemque  
Regni heres &c. externum militem conscribere coactus est. In  
qua & totius huius postremi ciuilis bellifontes & causæ  
breuiter aperiuntur.**

<https://hdl.handle.net/1874/427109>

see

DECLARATIO  
CAVSARVM,  
QVIBVS SERENISSIMVS

REX NAVARRÆ, PRIMVS


REGII FRANCORVM SANGVI-

nis Princeps, eiusdemque Regni

heres &c. externum militem

conscribere coactus est.

*An qua & totius huius postremi civilis bellifonses  
& causa breuiter aperiuntur.*



RVPELLIS,

Apud Petram Haltinum.

M. D. LXXXVII.

Al 673

DECLARATIO

AVSARVM

LIBVS. SERRINISIMVS

AVSARVM. PRIMVS

AVSARVM. PRIMVS


AVSARVM. PRIMVS

AVSARVM. PRIMVS

AVSARVM. PRIMVS

AVSARVM. PRIMVS

AVSARVM. PRIMVS



AVSARVM. PRIMVS

AVSARVM. PRIMVS

AVSARVM. PRIMVS

3

DECLARATIO  
CAVSARVM, QVIBVS

SERENISSIMVS REX NAVARRAE, PRIMVS REGII FRANCORVM SANGVINIS Princeps, eiusdemque Regni heres &c, externum militem conscribere coactus est.

*In qua & breuiter totius huius ultimi civilis bellæ fontes & causa aperiantur.*



ATIS QVIDEM SERENISSIMVS Rex NAVARRAE, sæpius editis & repetitis scriptis, explicasse videtur, quàm iniustis armis iam ante biennium, non ignoti Pontificiæ coniurationis impij; foederis populares, Diuini verbi hostes,

Regniq; Francorum prædones, Maiestatem eius bonosq; omnes petiuerint: quamq; inuitus, ad iustam & necessariam sui ipsius & commissarum sibi Ecclesiarum Christi defensionem, descenderit: ipsiq; adeò hostes, plus quam biennali pertinacia, & plerisque sceleratis molitionibus, malum animum suum toti orbi Christiano conspiciendum ita præbuerunt, vt nemo mortaliu de Serenissimi Regis iustissima mente, deq; hostium improbis consiliis & conatibus dubitare facile possit. Tamen postea quàm Deo iustis eius consiliis votisque annuente, mediocres in Germania & Heluetia equitum & peditum copiae sub Regiæ Maiestatis eius auctoritate collectæ sunt: ne quis fortè Maiestatis eius rationes actionesq; præter animi eius sententiam interpretaretur, expeditionis huius causas paucis exponen-

das iudicauit, mentemque suam denuò publico hoc scripto retegendam. Sanè Serenissimus Rex, iam Deo probatam causam suam, probari etiam Cæsareæ Maiestati, Regibus & Principibus, Rebusque publicis, atque adeo priuatis etiam omnibus, qui Christi nomen profitentur, valdè cupit. Ipsa quidem Regia Maiestas nihil cogitauit, aut molita est vniquam, quo lucem merito fugere, & latebras conscientiae suae quarere debeat: vt integra, ita interrita est; & solem ipsum contra tueri audeat: aperte semper, & ex Christiana simplicitate, etiam cum hostibus suis, egit. Illi contra, pudendas actiones suas, consiliaque lucem non ferentia, quantum sanè potuerunt, obtexerunt. Sed post tot infames proditones, tot inaudita periuria, tot horrendas cædes (quæ in memoria atque adeò penè sub oculis omnium sunt) ipsi, iudicio suo proditi, tandem eò impudètiæ venerunt, vt bellum caelo, Gigantum progenies, indicerent: & in eam ipsam patriam, quæ eos benignè exceperat, auxerat, opibus & honoribus ita cumulauerat, vt eorum felicitati nihil, præter Dei timorem animique moderationem, deesset, viperarum progenies, arma impia sumerent. Non latebant Serenissimum Regem improbi conatus eorum, atque perniciofa consilia. Nihilominus postquam ea arma mouisse, & in proscriptiones atque cædes piorum ire comperit, & tamen recidiuam bellorum ciuilium formidat, vnde publica vtilitas ostendebatur illuc omnia consilia sua intendit. Itaque nihil intentatum reliquit, quò tãdem sine sanguine, aut pauco saltem sanguine, controuersia componi, & animi reconciliari possent;

*Vide Declarationem datam Bergeraci 10. Iulij 1585. & aliam datam ad S. Paulum de Cap. deious 10. Augusti eod. anno.*

illi contra, viam cupiditatis suis bonorum ruinam struant.

unâsque per Antichristi fulmina aggrediuntur; tam-  
 quam Hæreticum proscribi curant; bonos denique om-  
 nes, piôsque Religionis repurgatæ cultores Gallia pelli  
 postulant. Quid ad hæc Serenissimus Rex? Subiecit se li-  
 bero & legitimo Concilio, quod omnibus seculis, Reli-  
 gionis erroribus sanandis, ynicum & salutare remedium  
 repertum est. Iam illi reformari & corrigi quædam in po-  
 litica Regni administratione volebant: Reiecit hoc Re-  
 gia Maiestas, ad generalia Regni Comitia (Status voca-  
 mus) quorum prima semper & summa fuit auctoritas.  
 Tandem illi, calumniis & impudentibus mendaciis Se-  
 renissimi Regis famam lacerare conati sunt. Iis quoniã  
 Maiestas eius sola peti videbatur, ne ipsius solius causâ  
 tot innocentes simul in periculum, & fortasse etiam exi-  
 tium traherentur, obtulit se duello: & sepositâ atque pu-  
 blicæ paci condonatâ Regiã, Regijque Francorum san-  
 guinis dignitate, sola cum Guisio congregari voluit. Gui-  
 sius addiramenta factionis, facisque istius publicæ, in  
 Hispania & Italia mendicans, duelli oblatam conditio-  
 nem respuit: nimirum, quia cum malè sibi conscius ani-  
 mus ad minimas foliorum velitationes pauidus, horro-  
 re vago perculserat. Optima itaque & sancta Serenissimi  
 Regis consilia frustra fuerunt. Non enim illi legitimis  
 rationibus componi controuersias cupiunt: sed quouis  
 modo Religionis lucem extinguere, & eos omnes, qui  
 illam sequuntur, per fas per nefas perdere cogitant. Non  
 regni administrationem restituere, sed Regnum ipsum  
 per scelus inuadere, omniãque sacra prophana miscere  
 constituerunt. Non Serenissimum tantum Regem  
 NAVARRAE vita priuare, sed omnes Euangelicos Re-  
 ges & Principes, atque priuatos etiam homines vitâ &  
 & fortunis spoliare contendunt. Denique Christi Eccle-

*Hoc tunc,  
 coram Deo,  
 Vrania  
 Princeps,  
 testificatus:*

*hoc tu, Serenissima Angliæ Regina, tot nefandis artibus petita, toties diuinitus conseruata, omnibus Regibus & Principibus intellegendum & palpandum præbes. Certe neant illi sibi, exemplo tuo: & pari tecum animo, pari virtute in monstra illa alia quando ipsi, iusti vindices, consurgant.*

sias subuertere, legitima Imperia confundere & perturbare, perturbata improbissimorum hominum libidini exponere modis omnibus conantur. Cùm itaque nullis rationibus furor perduellium sisteretur, & grauissimum non Maiestati eius tantùm, sed bonis & piis vbique omnibus, à furentibus hostibus periculum immineret, ad arma legitima Maiestas eius confugere coacta est; & iniustæ atque effreni, iustam & necessariam defensionem opponere. Iam enim omnino necessum erat Regis Regniq̃ue totius salutem vtcunque tueri, & latè se ferens incendium aliquomodo inhibere. Excepit itaque bellum Regia Maiestas, non intulit; & se totum benium quasi clausam tenuit: sperans, pertinaci illa bonitate sua, & obfirmatâ patientiâ, hostes ad meliorem sanioeremq̃ue mentem reuersuros. Et illis sperantiam pacis, fallacibus, vt solent, animis, facientibus, quo Serenissimum Regem incautum, insidiis opportuniorem redderent, Serenissimus Rex, ne qua in re publico bono defuisse, aut quid intentatum reliquisse videretur, vocatus, ad colloquium cum Regina matre, venit, ad omnes æquas, aut etiam tolerabiles pacis cõditiones paratus. Sed decidit hac spe Serenissimus Rex: illis enim Maiestati eius illudere, vitæ insidias ponere, pacis tractatio erat. Interea rabies illos magis magisque inuadit, & crescit in dies sanguinis Christiani sitis, atque inexplẽbilis imperitandi cupiditas. Non illis foedera facta sunt, non ipsa Sacramenta sacra, non Deus ipse, & ad Dei imaginem homo compositus sanctus sacẽre est. Per prodiciones, per perjuriam, per sacrilegia, per cædes & homicidia viam cupiditatibus suis faciunt. Miscere omnia & perdere, potius quàm votis suis cadere, statum ipsis & fixum est. Cõmemorare omnia & singula vt lo-  
gum

gum nimis esset, ita nimio horrore ad ea pij Lectoris animus afficeretur. Hoc solum, quoniam haud ita exteris omnibus notum est, admonere operæ pretium est: Ducem Maynium, Guisij fratrem, post exhaustum Regni ararium, expilatas priuatorum facultates, pleraque Nobilitate & militaribus viris promiscuè extinctis; vt eos, quos belli fortuna & morborum contagium reliquos fecerat, animis fractos erigeret, atque etiam factioni suæ sumptus in posterum sufficerent, Parisiensis vrbs prædam & spolia animo præcepisse. Itaque in vrbs cum suorum bono numero venit; Regi & Optimatibus insidias fruit: cum iis, quos in vrbs fautores & conscios habebat, consilia componit; aliis etiam locis occupandis proditores conducit; omnia denique ad Regis & Regni & vrbs excidium parat: vti cum eodem tempore pluribus locis incendium erupisset, cæteri toto Regno, re improuisâ perturbati & cõsternati, opprimi faciliè possent. Sed Deus, mirabiliter patefactâ nefariâ prodicione, Parisiorum vrbs, Regiam Maiestatem, Regnumque ipsum à præsentis exitio vindicauit, & immanissimorum Cyclopum faucibus eripuit. Nihilominus aliquot in Picardia vrbs, quamuis Regiæ Francorum Maiestatem, ipsique Antichristo Pontifici deuotissimæ, ab iis per prodicionem captæ sunt. Vt autem suum illud in Regium sanguinem odium manifestius cunctis exponerent: Illustrissimi Principis Condæi vnicam filiam (cuius ipsi amplissimæ hereditati inhiant) vnâ cum Illustrissima Bullionij Ducissâ, Illustrissimi Principis Francisci Borbonij Ducis Montpenserij sorore, ipsemet Guisius Sedani arctissimè obsessam, aliquot menses tenuit. Vnde post turpem fugam, ignominiosè repulsus, Iametium, Illustrissimi Ducis Bullionij munitissimam arcem, variis proditoriis arti-



artibus tentauit. Sed quæ cuncti mortales scelestæ & nefanda iudicant, illi prudentiam & virtutem asserimus, & sibi ex iis gloriam quærunt. Non ergo Serenissimus & piensissimus Rex tergiversandum sibi diutius putauit, ne ista patientia sua ac animi lenitas Ecclesiis & Regno perniciem adferret; sibi ipsi bonisq; omnibus exitio esset: & hostes deinde per iacentia nostrorum corpora, sibi ad alias etiam quietas Ecclesias subuertendas, aliaque pacata Imperia perturbanda iter facerent. Omnibus quippe istis vna eademque vetus bellandi causa est, insatiabilis sanguinis Christiani sitis, & cupido profunda regnandi. Attentiùs igitur & maioribus viribus illis obviam eundem Serenissimus Rex iudicauit. Ad hoc externo ei milite opus fuit. Itaque in sacri Rom. Imp. prouinciis vicinisque locis, saluis Imperij legibus & constitutionibus, miles conductus & coactus est. Quicumque Christianum Maiestatis eius animum ab omni humani Christiani præsertim, sanguinis effusione alienissimum pacis atque publicæ tranquillitatis amantissimum reuertit, is quàm inuita ad acerbiora hæc & acriora remedia Maiestas eius cõfugiat, facilè intelligit. Sed lenta remedia & segnes Medicos, ingentes & inueterati morbi non expetunt, lenes medicinas aspernantur, & aduersus eas etiã contumaces assurgunt: grauiore illæ adhibenda sunt, quæ malum radicitus euellant. Nihil, quod salutare sit, non modò ad animum, sed ne ad aures quidem illi admittunt. Ideò se lædi putant, quòd eos Serenissimus Rex NAVARRÆ in Christum impunè grassari, Regni perfidè inuadere non patitur. Regnare utique volunt, & intolerabile seruitutis iugum non corporibus solùm, sed conscientijs etiam imponere. Huic nefandæ cupiditati, obstat innata conscientijs nostris libertas, obstat Serenissimi

fini Regis NAVARRAE, agnatorumque Principum  
 vita, obstat gentium ius, obstat antiquissimus Franco-  
 rum mos, obstat verò etiam bonorum omnium Iudi-  
 cium. Istuc transcendere, nisi conculcata Religione, &  
 perditò sanguine Regio, Guisij non possunt. Implorant  
 ergo Serenissimi Regis auxilium, durissima seruitute  
 pressæ miserorum animæ, implorat ipsa Regni Franco-  
 rum Maiestas; implorat cædibus atque rapinis exhau-  
 stum florentissimum olim, & primum nominis Christia-  
 ni regnum. Et denegare Regium nomen, munusque à  
 Deo Serenissimo Regi tributum, verat: & tantò magis  
 verat, quantò se Maiestas eius, ad Christianæ lucis splen-  
 dorem, Dei gratiâ, perducta, maioribus à Deo beneficiis  
 cumulatam agnoscit. Vitam ei Deus tribuit: quid ni eâ  
 lubens pro Deo & Dei membris effundat? Opes ei idem  
 benignus Deus concessit: quid ni eas servandis Christi  
 membris Maiestas eius restituat? Ecclesiis eam suis Deus  
 præfecit, earumque ei custodiam demandavit: quis non  
 improbet, si ad Luporum aduētum Maiestas eius fugiat,  
 & non potiùs commissi sibi gregis custodiæ immoria-  
 tur? Hic igitur Maiestas eius vitam suam Deo lubens  
 reddit: opes omnes suas lubens impendit, quò præsens  
 Ecclesiarum exitium auertatur, & Christi, tot iam annos  
 sæuissimis & perfidiosissimis consiliis afflicta membra,  
 acerbissimâ Antichristi seruitute liberentur. Non ille in  
 bona & vitas tantùm, quod vulgò Tyranni faciunt, sæ-  
 nit; sed conscientias, Sathanæ primogenitus, excarnifi-  
 cat: nec nisi animarum perditione placari se sinit. Iam  
 vt affectas sibi & sæuitiæ suæ ministros paret, Regna at-  
 que Imperia procribit, & prædæ illis exponit. Ita in sa-  
 crum Rom. Imp. ita in augustissimum Francorum re-  
 gnum, ita in cætera Regna sæpissimè, furentis in morem  
 B grassatus

*Vide Decla-  
 rationē  
 Regis Frã  
 corum edic-  
 tam Lute-  
 tiæ, mense  
 Aprilis  
 1585.*

grassatus est. Hoc ipsum hodie in Gallia tentat: & mox, si in Gallia successerit, tentabit, imò iam tentauit in sacro Rom. Imp. ceterisque Regnis: & tentabit, non solum vt suorum inexplebilem cupiditatem aliquomodo expleat: sed multò magis vt bonos omnes (quibus enim, hoc ipso quòd boni sunt, irreconciliabile odium exercet) perdat, & suum æternæ perditionis virus latè spargat; Christianæ veritatis lucem, Christianis extorqueat, eosque densissimis superstitionis & idololatriæ tenebris immergat. Errat, & valdè errat quisquis bonus, seu priuatus, seu potens, seu tenuis, seu remotus, seu propinquus, tutum se ab illius insidiis putat. Omnibus bonis vnam legem dixit. Sed Deus peruigil suorum custos, & bellator indefessus, suis propitius aderit: & potenti manu, illum cum suis in abyssum mittere, suos cœlo seruabit. Interim Serenissimus Rex NAVARRÆ, cuius sunt fueruntque de Ecclesiarum Christi, Regni & Regiæ Maiestatis Francorum, deque bonorum omnium salute & conseruatione assiduæ curæ, quibus excitarum exercitatumque Maiestatis eius pectus, publicæ huius atque atrocis calamitatis tristissimo spectaculo & acerbissimo sensu pertunditur, vt violentam vim hominum (si modò illi homines sunt) humanis ac concessis rationibus repellat: & imperum illorum, quo subuertere orbem Christianum aggressi sunt, reprimat: Exercitum hūc comparauit, quem illis, tãquam cõmune & necessarium orbis Christiani propugnaculum opponat. Hic animus Serenissimi Regis, hæc mens est: cui bonæ bonus Deus (absque quo omnia frustra sunt) benedicat. Cõtra sacrū Rom. Imp. nihil ne cogitauit quidẽ vinqũa: Casaream Maiestatem, vti summus ille, in quo est locata, gradus requirit, obseruat: Serenissimos orbis Christiani Reges,

Illustrissimos sacri Rom. Imp. Electores, ceterosque bo-  
 nos Principes omnes fraterna benevolentia complecti-  
 tur: Imperij iura infracta & illibata cupit: nullum legiti-  
 mum Magistratum læsum, neminem mortalium iniuria  
 affectum vult. Imò vires omnes suas, suam suorumque  
 vitam ad Regum & Principum dignitatem conseruan-  
 dam, ad iniuriam ab omnibus arcendam, maximè au-  
 tem ad Diuini numinis gloriam propagandam paratissi-  
 mus semper impendet. Itaque omnem locis amicis, præ-  
 fertim in sacri Rom. Imperij finibus moram auersatur:  
 cum ea hostium commodo, amicorum incommodo  
 plerunque accidat: & populationes, deprædationes, ab-  
 actiones, seditiones etiam & ex iis cades necessariò ad-  
 ferat: quibus amicorum animi abalienari, & ex amicis  
 inimici reddi soleant. Non amicis enim, sed inimicis: non  
 quietis & pacatis, sed turbulentis & factiosis Antichristi  
 hominibus indictum bellum. Antichristi factionem pe-  
 ti quam primùm, & peti primo impetu ipsum factionis  
 iugulum Serenissimus Rex vult iubetque. Quod Galliã  
 attinet, iam sæpius promulgatis scriptis Serenissimus  
 Rex NAVARRAE professus & testatus est, & iam multo-  
 rum annorum innocenti vita confirmavit, nihil sibi pu-  
 blica Regni eius (cuius ipse post Regiam Maiestatem  
 princeps membrum sit) pace & tranquillitate carius esse:  
 optare, vt Regia Maiestas (cuius ipse proximus agnatus,  
 proximùsque heres sit) pacata & florens, suis amata,  
 suos amans, quàm diutissimè & felicissimè Regnum, ipsi  
 à Maioribus legitimã nec interrupta multorum seculo-  
 rû serie relictum administret. Hoc summis à Deo & pri-  
 uatis & publicis precibus, ipse Ecclesiãq; Gallicã petüt:  
 hoc omnibus viribus suis, quantum potest, contendit. Et  
 hoc ipsum, hoc ipso exercitu, DEO, DEO EXERCITVVM,  
 B ij cum

cum deducente & perducente, cōsequuntur se sperat.  
Et certè sperare decet, licetque, **DEVM** ipsum sanctum  
hoc bellum cum sacrorum fœderum, pacisq̄ue ruptori-  
bus commissurum & profligaturum: & per Serenissimū  
Regem, piōsq̄ue eius ministros effecturum, **VT PVLSE**

*In Decla-  
ratione  
mensis A-  
prilis 1585.*

**REBELLIBVS** (nam tales ipsos & mortales omnes & ip-  
sa Regia Francorum Maiestas agnoscūt, & ipsa ipsorum  
opera conuincunt) **DEO** honor & cultus suus: conscien-  
tiis, sua libertas: Regiē Maiestati, (qua viuā & yegeta, ve-  
cordes isti hereditatem Regni spe improba creuerunt),  
suum ius tutāque ac secura salus: Regij sanguinis Prin-  
cipibus, sua auctoritas: Nobilitati, sua dignitas: Plebi, sua  
pax & securitas: Regno vniuerso suus splendor felicitet:  
restituatur. Ad excellens hoc, gloriosum & sanctū opus  
opibus suis, viribus & consiliis adiuuandum, promouen-  
dum, conficiendum inuitat Serenissimus Rex **NAVARO-**  
**RÆ**, non vos solū, Regij Francorum sanguinis Prin-  
ces, Nobilitatem omnem, Populum vniuersum Franco-  
rum, quibus libertas auita cordi est, quiq̄ue nec dum His-  
spanico veneno tinctam mentem habetis: Sed omnes  
vos etiam Reges, Principes, Respublicas, Nobiles, Igno-  
biles, quibus non solū Francorum Regni Maiestas &  
dignitas, atque ad eō conseruatio, sed multō magis Dei  
honor, & **CHRISTI** Regnum curæ, Antichristi tyran-  
nis odio & execrationi est: quiq̄ue vestram posterorum-  
que libertatem & tranquillitatem (cui isti iam dudum  
insidias tendunt) amatis & conseruatam vultis. Satis  
iam exemplorum alienæ vobis clades præbent: videte, ne  
fortè aliis quandoque exemplo sitis. Serenissimus Rex  
pio suo proposito, piūsq̄ue laboribus, offensum iri nemi-  
nem certè (cui humanitatis aliquid & rationis sit) arbi-  
tratur. Et idem sibi in sacri Rom. Imp. sinibus, cum bona  
Cæsareæ

Cæsareæ Maiestatis cæterorumque Imperij Ordinum  
 venia & gratia concessum iri sperat, quod cæteris licuit,  
 ipsique humani generis hostes impunè ausi sunt. Superi-  
 oribus annis non semel Hispanico militi, publicam or-  
 bis Christiani pacem perturbanti, egressus & ingressus in  
 sacrum Rom. Imperium liber fuit: & nuperrimè non  
 amicè egredientibus, sed hostiliter ingredientibus: Rhe-  
 num, sacrum Germaniæ limitem, ponte exstructo trans-  
 euntibus, viscera quodammodo Imperij, non solùm con-  
 tra amicitia: sed & contra belli legitimi leges deustan-  
 tibus, deprædantibus, vrentibus nemo se opposuit, nemo  
 contradixit. Quare Serenissimus Rex minimè dubitat,  
 quin militi suo, quem non hostili animo inducat, sed  
 amicè educat, quemque Ecclesiarum defensionì, Regni  
 Francorum restaurationi, orbis Christiani tranquillitati  
 coegerit, pacata omnia & amica futura sint. Quod ipsum  
 Serenissimus Rex paribus studiis, omnibusque aliis ami-  
 citiæ & benevolentia: officiis referet. Iam igitur bel-  
 lum Sanctum, pro sanctis Christi membris, aduersus An-  
 tichristi mancipia, quibus scelus & perfidiam hoc bien-  
 nio, non virtutem accessisse nemo non videt,  
 aggredimur. Iam in prædones, qui arma, Deum prius-  
 quàm homines violatura, sumpserunt, arma referimus.  
 Iam ad Christianam libertatem vindicandam, Antichri-  
 sti seruitutem excutiendam signum attollimus.

TV, CHRISTE, summe Rex & Imperator noster, ad sis  
 numine & brachio tuo: & virgâ tua ferrea confringe ho-  
 stes tuos, tanquam vas figuli: vt te, què priuatim publicè-  
 que inter arma hostilèsq; terrores coluimus, pacificè  
 tandem cum omnibus populis liberèque colamus. Vos  
 autem Christiani REGES & PRINCIPES, vos pij, vos  
 boni, Christianos labores nostros, Christianis precibus  
 vestris

1836951

14

DECLAR. S. REGIS NAV.

vestris subleuate. Et vos DVCEB, & MILITES nostri, qui non tam nobis, quàm Regi Regum DEO militatis: qui patrum auorùmque gloriæ virtutisque succreuisistis, ad vestram gloriam alacres consurgite: inanium hominum inanes & ipsos impetus, bene ausi, contemnite: & cum rerum humanarum maximum momentum sit, quàm propitio, quàm auerso gerantur Numine, hoc iam pro certo habete, hoc, quod gesturi estis bellum, Duce & auspice CHRISTO vos gesturos. Sanctum itaque bellum, sanctè gerite: inter vosmetipsos pacem, amicitiam colite: ordine cuncta & ex imperio iusto gerite: sacri Imperij fines, sacri vobis & sancti sint: amicos amicè habete, & eos, Nobis, vobisq̄ue modestia vestra ex amicis amiciores reddite: in hostem quam primùm magno animo tendite: in eum iusta odia vestra iustè exercete: cum denique fortiter perditè, & cum DEO feliciter conficite. Vos & ab hominibus ampla præmia, à DEO æterna celestiaq̄ue gaudia manent. Datum Rupellis 10. Iulij

M. D. LXXXVII.

*Subsignatum*

HENRICVS.

Infrà

*Alliarisa.*





67956906